C dicem eius aliqui conciſam ſeruari iubent funiculis pendentẽ, decoquuntq́ in cibo contra fluxiones, quas Græci rheumatiſmos uocant.

APPENDIX.

Recentiores radicẽ Cardui ſuarij drachmæ pondere in uino ſumptam cõtra peſtilentiæ contagia prodeſſe tradunt. Eandem etiam in aceto decoctam, contra ſcabiem, impetiginẽ, & omnes cutis fœditates curatu difficiles conferre ſcribunt, ſi eius decocto lauentur. Idem dentium etiam dolori ſuccurrit.

DE CHAMAELEONE NIGRO CAP. CCCXXXVIII.

NOMINA.

Χαμαιλεων μέλας Græcis, Carduus niger aut Vernilagium Latinis dicitur. Officinis hæc planta incognita exiſtit. Germanis alluſione ad latinam nomenclaturam ſchwartzer Gartendiſtel uocari poteſt, quod ſcilicet in hortis tantum culta proueniat. Sunt qui eam à candore foliorum nominent welſch weiß Diſtel/ſed prior appellatio ad diſcriminandas plantas melior exiſtit. Chamæleon uerò dictus eſt à uarietate foliorũ, quæ pro terræ & locorũ differentia, aut admodũ uiridia, aut ſubalba, aut cœrulea, aut rubra inueniuntur. Niger uerò hauddubiè à radice appellari cœpit.

Chamæleon niger cur dictus.

FORMA.

Foliis Scolymo ſimilis eſt, minora tamen, tenuioraq́, & rubentia ea habet. Caulem emittit digitali craſſitudine, dodrantalem, ſubrubrũ, qui in ſummo habet umbellam, & ſpinoſos flores tenues, hyacinthi æmulos, uerſicolores. Radicẽ craſſam,
D nigram, denſam, & aliquando corroſam, quæ diſſecta ſubflaueſcit, & cõmanducata mordet. Hæ quidem notæ quanquã plantę, cuius hic picturã damus, ferè omnes uideantur quadrare: caulem enim euehit dodrantalẽ, & altiorẽ etiam, digitũ ęquantem craſſitudine, ſubrubrum, folia inſtar Scolymi, minora, ſubalba & leniter punicea, candidũ ac hiſpidum florem, hyacinthina purpura uariatũ, radicem nigram & ſubflauam: tamen cum non admodũ linguam uellicet cõmanducata radix, fit ut nõ parum an legitimus ſit Chamæleon niger addubitem. Verũ cum multi huius temporis uiri eruditi hanc plantam Chamæleonẽ nigrum eſſe credant, nolui hoc tempore ab iis prorſus diſſentire, atqueadeo eandem quæ illi, plantæ huic indere appellationem uolui, maximè cum nullam aliam eidem cõuenire apud Dioſcoridem deſcriptionem uideam, donec aliquid certius de ea nobis aut alijs compertum fuerit.

LOCVS.

Nuſquam ſua ſponte in Germania prouenit, quare cultura indiget. Naſcitur autem Chamæleon niger, Dioſcoride autore, ſiccis, campeſtribus, cliuoſisq́, & maritimis locis.

TEMPVS.

Iulio menſe floret, ac ſubinde in capitulis rotundis Auguſto menſe ſemen hiſpidum profert.

TEMPERAMENTVM.

Chamęleontis nigri radix ſicca eſt in tertio ordine, calefacit uerò in ſecundo abſoluto.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix trita, additis exiguo atramento ſutorio, cedrino oleo, & axungia, ſcabiem abigere poteſt. Abſtergit etiam impetigines, admixtis ſulphure & bitumine. Decoctum eius collutione dentium dolorẽ mitigat. Cum pari pipere & cera oblita, dolentibus dentibus auxiliatur. Quinetiã fouentur ea dentes, quũ decocta in aceto, & calens impoſita fuerit. Scriptorio ſtylo dolẽti denti calida admota, eum frangit. Cum ſulphure decolorẽ ob ſolẽ faciẽ, & alphos emendat. Miſcetur medicamentis erodentibus. Phagedęnas, ferinaq́ ac tetra ulcera illita, ad mitiorẽ habitũ transferens ſanat.

EX GALENO.

CHAMAELEON NIGER.

Schwartz Gartendiſtel.